

850.

1251 d. 15 Aug.

Linköping.

BIRGER JARLS Bref rörande Tullfrihet för Lybeck samt rörande arf efter död man.

K. v. 106.

BYRGERUS Dei gratia dux Sveorum, viris providis Advocato, consilio & communi Lybicensi salutem in domino sempiternam. Venientes ad nos nuncii vestri, dominus Wilhelmvs Albvs dominus Fridericvs Bardewyc, viri discreti & providi, consules civitatis vestre ex parte petiverunt a nobis, quatenus cives vestros ad partes nostras cum mercibus suis venientes facere deberemus eam graciam, quam cives nostri ad vos venientes a longo tempore in civitate vestra habuisse noscuntur, quantum ad thelonium non solvendum. Super quo pro amore & amicitia quam erga vos habemus, taliter respondemus, quod pacem, libertatem & immunitatem de non solvendo thelonio, qua nostrates in civitate vestra gaudere permititis, eandem hominibus vestris, sicuti in nostris et antecessorum nostrorum literis plenius continetur, cum mercibus suis ad partes nostras venientibus promittimus & de novo confirmamus ita duntaxat, quod gubernator navis sub fide sua nominet eos quos vestrae civitatis novit, ceteris suis nautis ab eis separatis eorum Advocato loci ad quem declinayerit, esse veraciter cives vestros. Adjicienes quod si naufragi damnum aliquem apud nos de vestris contingat incurrire, quilibet in naufragio constitutus sine calumpnia possidebit illud, quod de rebus suis extrahere poterit & juvare. Præterea, si quem extraneum apud nos mori contingat, qui non habeat legitimum successorem, omnes res, quas possidet, redigi debent in scriptura et sub fideli custodia sacerdotis, exactoris regii ac melioris, ac majorum de civitate seu loco illo, in quo mortiuus est, cum testimonio bono deponi. Et si postmodum infra annum & noctem legitimus heres advenerit, literas yestras secum deferens, per quas constare possit, quis sit heres, res predictas integraliter obtinebit. Quodsi infra annum & noctem nullus venerit, qui sit heres, ex hoc statim elapso, secundum leges patrie devolventur ad fiscum regium res memorate. Ut igitur premissa omnia robur firmitatis obtineant & a nemine possint impugnari, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Lynkoping presente venerabili domino Laurentio Upsaliensi Archiepiscopo & ceteris quamplurimis nobilibus regni nostri in festo assumptionis S. Mariæ virginis gloriosæ anno domini MCLI.